

871


S8vg.e

SUETONIUS

DE CLARIS GRAMMATICIS








Digitized by the Internet Archive  
in 2017 with funding from  
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

<https://archive.org/details/declarisgrammati00suet>

C. FLINII SECYNDI NOVOCOMENSIS  
DE VIRIS ILLYSTRIBVS LIBER.



PARISIIS  
EX OFFICINA TOBIAEI STEGANI.  
MDCCLX.

LIBRARY  
UNIVERSITY OF ILLINOIS  
AT URBANA-CHAMPAIGN

678893c



39870

AMERICAN LABORATORY

AMERICAN

*Handwritten signature*

S V E T O N I I T R A N Q V I L L I  
D E C L A R I S G R A M M A T I C I S  
L I B E R .

I

Rammatica olim Romæ ne in vsu  
quidē, nedum in honore vllō erat,  
rudi scilicet, ac bellicosa etiam tum  
ciuitate, necdum magnopere libe-

G

ralibus disciplinis vacante. Initium  
quoque eius mediocre extitit. Siquidem antiquis-  
simi doctorum quidem, & Poetæ, & Oratores, se-  
mi-græci erant: Lilius & Ennius dico, quos vtra-  
que lingua domi, forsque, docuisse adnotum est.  
Nihil amplius quàm Græcè interpretabantur. Ac  
si quid Latine ipsi composuissent, prælegebant. Nā  
quod nonnulli tradunt, duos libros de literis, sylla-  
bisque, item de metris ab eodem Ennio æditos, iu-  
re arguit L. Cotta, non poetæ, sed posterioris Ennij  
esse, cuius etiam de augurandi disciplina volumi-  
na feruntur.

De Cratete Malote primo grāmatico in Vrbe. 2

P

Rimus igitur, quantum opinamur, stu-  
diū grāmaticæ in Vrbe intulit Cra-  
tes Malotes Aristarchi æqualis, qui mis-  
sus ad Senatū ab Attallo rege inter secundum ac  
tertiū bellum Punicum sub ipsam Ennij mortem,  
quū in regione palatij prolapsus in cloacæ foramē,  
erūs fregisset, per omne legationis simul & valetu-

dinis tempus plurimas ἀκροάσεσ subinde fecit, af-  
siduèque disseruit, ac nostris exemplo sunt ad imi-  
tandum. Hactenus tamē imitati, vt carmina parum  
adhuc diuulgata, vel defunctorum amicorum, vel  
si quorum aliorum probassent, diligentius retra-  
ctarent, ac legendo, commentandoque etiam cate-  
ris nota facerent, vt C. Octauius Lampadio Nanij  
Punicum bellum, quod vnico volumine, & corti-  
nenti scriptura expositum, diuisit in septem libros:  
vt postea Qu. Vargunteius annaleis Ennij, quos  
certis diebus in magna frequentia pronuntiabat:  
vt Lælius, Archelaus, Vestius, Qu. Philocomus Lu-  
ciliij Satyras familiaris sui, quas legisse apud Arche-  
laū Pōpeius Lenæus, apud Philocomum Valerius  
Cato prædicant. Instruxerūt, auxeruntque ab om-  
ni parte grāmatica Lælius Lanuuius gener Qu.  
AElis, Seruius Clodius vterque eques Romanus,  
multique, ac varij & in doctrina & in Rep. vsus.

De Lælio Præconino siue Iftilone. 3

AElis cognomine duplici fuit: nam &  
L. Præconinus, quod pater eius præconiū  
fecerat, vocabatur: & Iftilo, quod oratio-  
nes nobilissimo cuique scribere solebat. Tantus or-  
ptimatum fauor, vt Qu. Metellum Numidicum in  
exilium comitatus sit. Seruius quum librum socris  
nōdum æditū fraude intercepisset, & ob hoc repu-  
diatus pudore, ac tædio secessisset ab Vrbe, in pos-  
dagræ morbum incidit: cuius impatiens, veneno  
sibi perunxit pedes, & enecuit ita, vt parte ea cor-  
D. iij.

33638(a)

(A)



33638

Handwritten text, possibly a signature or name, located below the number on the beetle's elytra.



poris quasi præmortui vixerit: post hoc magis ac magis & gratia, & cura artis increuit, vt ne clarissimū quidem viri abstinerent, quo minus & ipsi aliquid de ea scriberent: vtque temporibus quibusdam, super xx, celebres scholæ fuisse in vrbe tradantur. Pretia grammaticorum tanta, mercedisque tam magnæ, vt constet Luctatiū Daphnidem (quæ Lenæus Melissus per cauillationem nominis τῶν ὀδῶν & γῆμα dicit) ducētis millibus numūm Qu. Casulo emptum, ac breui manuissum. L. Apuleium ab Efcio Caluino equite Ro. prædiuite quadringenis annuis conductum, multos edocuisse. Nam in provincias quoque Grammatica penetrauerat, ac nonnulli de notissimis doctoribus peregre docuerunt: maxime in Gallia Togata, inter quos Octauius Teucer, & Siscennius Iacchus, & Oppius Cæsares: hic quidem ad vltimam ætatem, & quum iam non gressu modò deficeret, sed & visu.

## De grammaticorum appellacione. 4

A Ppellatio grammaticorum Græca consuetudine inualuit: sed initio literati vocabantur. Cornelius quoque Nepos in bello quo distinguit literatum ab erudito: literatos quidem vulgò appellari ait eos, qui aliquid diligenter, & acute, scienterque possint aut dicere, aut scribere. Cæterū proprie sic appellados poetarum interpretes: qui à Græcis grammatici nominentur, eosdem literatos vocitatos. Messala Coruinus in quadam epistola nō esse sibi dicens rē cum Furio Bibaculo

nec cum Sigida quidem, aut litatore Catone. significat enim haud dubie Valeriū Catonem poetam simul, grāmaticūque notissimū. Sunt qui literatū à litatore distinguant, vt Græci grammaticum, à grāmaticū: & illum quidem absolute, hūc mediocriter doctum existimēt. quorum opinione Orbilius etiam exēplis confirmat. Nam apud maiores, ait, quum familia alicuius venalis produceretur, non temere, quem non literatū in titulo, sed literatorem inscribi solitum esse, quasi non perfectū literis, sed imbutum. Veteres grammatici & Rhetoricam docebant: ac multorum de vtraque arte commentarij feruntur: secundum quam consuetudinē posteriores quoque existimo (quāquam iam discretis professionibus) nihilo minus vel retinuisse, vel instituisse, & ipsos quædam genera institutionum ad eloquentiam præparandam, vt problemata, periphrases, elocutiones, ethologias, atque alia hoc genus: ne scilicet sicci omnino, atque aridi, pueri rhetoribus traderentur. quæ quidem omitti iam video desidia quorūdam & infantia: nō enim fastidio putem. Me quidem adolescentulo, repeto quendam principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare: nonnullis verò, mane differere: post meridiem remoto pulpito declamare solitum. Audiebā etiam memoria patrum, quosdā ē grammaticis statim ludo transisse in forum, atque in numerum præstātissimorum patronorum receptos. Clari professores, & de quibus prodi possit aliquid dūntaxat à nobis, ferē hi fuerunt.

33638(a)



## De Sævio Nicanore.

5

**S** A Euius Nicanor primus ad famā, digna  
tionemq; docendo peruenit: fecitq; præ-  
ter cōmentarios (quorū tamen pars ma-  
xima intercepta dicitur) satyram quoque, in qua li-  
bertinū se, ac duplici cognomine esse hoc indicat,  
Sæui<sup>9</sup> Nicanor Marci libert<sup>9</sup>. negabit Sæuius Post-  
humus idem. At M. docebit. Sunt qui tradant ob  
infamiam quandam eum in Sardiniam secessisse,  
ibique diem obiisse.

## De Aurelio Opilio.

6

**A** Vrelius Opilius Epicurei cuiusdā liber<sup>9</sup>  
tus, philosophiā primo, deinde Rhetori-  
cam, nouissime grāmaticam docuit. Dis-  
missa autem schola Rutilium Rufum damnatū in  
Asiam sequutus, ibidē Smyrnā simulq; confenuit.  
composuitq; variæ eruditionis aliquot volumina:  
ex quibus nomē vnus corporis, qui quia scriptores  
ac poetas sub clientela mufarū iudicaret, non abs-  
surde & scripsisse, & fecisse se ait ex numero diua-  
rum: & appellatione huius cognomen in plerisque  
indicibus, & titulis per vnam literā scriptū anim<sup>9</sup>  
aduerto. Verū ipse id per duas effert in Paraffi-  
chidā libellis, qui inscribitur Pinax.

## De M. Antonio Gniphō.

7

**M** Arcus Antoni<sup>9</sup> Gniphō ingenu<sup>9</sup> in Gal-  
lia natus, sed expositus, à nutritore suo  
manumissus, insitutusque Alexandriæ

quidē vt aliqui tradūt, in cōtubernio Dionysij Sci-  
thobrachionis: quod equidem nō temere credide-  
rim, quum temporū ratio vix cōgruat. Fuisse dici-  
tur ingenij magni, memoriæ singularis, nec minus  
græcē, quā latinē doctus: præterea comi, faciliq;ue  
natura: nec vnquā de mercedib<sup>9</sup> pactus, eoque plu-  
ra ex liberalitate discentiū cōsequutus. Docuit pri-  
mū in diui Iulij domo pueri adhuc, deinde in sua  
priuata. docuit autē & Rhetoricā ita, vt quotidie  
præcepta eloquētis traderet: declamaret verò nō  
nisi nūdinis. Scholam eius claros quoque viros fre-  
quentasse aiunt. in his M. Ciceronē, etiā quum præ-  
tura fungeretur. Scripsit multa, quāuis annū æta-  
tis quinquagesimū non excesserit: etsi Atteius phi-  
lologus duo tātum volumina de Latino sermone  
reliquisse eum tradit. nam cætera scripta: discipulo-  
rum eius esse, non ipsius: in quibus & suum alicu-  
bi reperi nomen.

## De M. Pompilio.

8

**P** Pompilius Andronic<sup>9</sup> natione Syrus, suus  
dio Epicureæ sectæ, desidiosior in profes-  
sione Grāmaticæ habebatur, minisque  
idone<sup>9</sup> ad tuendam scholam. Itaq; quum se in Vrbe  
non solum Antonio Gniphoni, sed cæteris etiā de-  
terioribus postponi videret, Cumas transiit, ibiq;  
in otio vixit, & multa composuit. Verū adeò in-  
ops, atque egens, vt coactus sit, præcipue illud opu-  
sculum annaliū elenchorū sexdecim millib<sup>9</sup> num-  
mū cuidam vendere: quos libros Orbilius sup:

21/89993

89



3638

pressos redemisse se dixit, vulgandósque curasse nomine authoris.

## De Orbilio.

9

Orbilius Pupillus Beneuentanus morte parentum vna, atque eadem die inimicorum dolo interemptorū destitutus, prius appariturā magistratibus fecit: deinde in Macedonia Corniculo. mox equo meruit: functusque militia, studia repetit, quæ iam inde à puero non leuiter attigerat: ac professus diu in patria, quinquagesimo demum anno Romæ consule Cicerone transiit: docuitque maiore fama, quam emolumento: namque iam per senem pauperem se, & habitare sub tegulis quodam scripto fatetur. Librum etiam, cui est titulus Perialogos, ædidi, continentem querelas de iniurijs, quas professores negligenter ab ambitione parentum acciperent. Fuit autem naturæ acerbæ non modò in antisophistas, quos omnino sermone lacerauit: sed etiam in discipulos & Horatius significat, plagosum eum appellans: & Domitius Marsus scribens, Si quos Orbilius ferula, scuticæque cecidit. Ac ne principum quidem virorū infestatione abstinuit. siquidem ignotus adhuc, quum iudicio frequentanti testimoniū diceret, interrogatus à Varro: ne diuersæ partis aduocato, quidnam ageret, & quo officio vteretur: Gibberosos se de sole in vmbra transferre respōdit, quòd Murena gibber erat. Vixit prope ad centesimū ætatis annum, amissa iam

31

pridem memoria, vt versus Bibaculi docet: Orbilius vbinam est literarum obliuio. Statua eius Beneuenti ostēditur in Capitolio ad sinistram latus marmoreo habitu sedentis ac palliati, appositis duobus scrinijs. Reliquit filium Orbilium, & ipsum grammaticum professorem.

## De Atteio Philologo.

10

Atteius Philologus libertin⁹ Athenis natus. hunc Capito Atteius iuriconsul. inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuisse ait. De eodem Asinius Pollio in libro, quo Sallustij scripta reprehēdit, vt nimia priscorū verborū affectatione oblita: ita tradit, In eam rem adiutorium ei fecit maxime quidam Atteius prætextatus nobilis grāmaticus Latinus, declamantium deinde adiutor, atque præceptor. Ad summam Philologus ab semet nominatus, ipse ad Læliū Hermam scripsit, se in græcis literis magnū processum habere, & in Latinis nonnullum: Audisse se Antonium Gniphonē, eiusque Hermam postea docuisse. Præcepisse autem multis & claris iuuenibus, in quibus Appio quoque & Pulchro Claudijs fratribus, quorū etiam comes in prouincia fuerit. Philologi appellationem adsumpsisse videtur: quia sicut Eratosthenes ( qui primus hoc cognomē sibi vendicauit) multiplici, variâque doctrina censebatur: quod sanè ex cōmentarijs eius apparet, quàm paucissimi extant: de quorū tamen copia sic altera ad eundem Hermam epistola significat, Hy-

33638/a  
 1  
 2  
 3  
 4  
 5  
 6  
 7  
 8  
 9  
 10  
 11  
 12  
 13  
 14  
 15  
 16  
 17  
 18  
 19  
 20  
 21  
 22  
 23  
 24  
 25  
 26  
 27  
 28  
 29  
 30  
 31  
 32  
 33  
 34  
 35  
 36  
 37  
 38  
 39  
 40  
 41  
 42  
 43  
 44  
 45  
 46  
 47  
 48  
 49  
 50

33638

len nostram alijs memento cōmendare, quam orn-  
nis generis coegimus, vti scis, octingētos in libros.  
Coluit postea familiarissime C. Sallustiū, & eo de-  
functo Alfinium Pollionē: quos historiam compone-  
re aggressos, alterum breuiario rerum omnium Ro-  
manarū, ex quibus, quas vellet, eligeret, instruxit:  
alterum præceptis de ratione dicendi. Quo magis  
miror Alfinium Pollionem credidisse antiqua eum  
verba, & figuras solitum esse colligere Sallustio,  
quum sibi sciat nil aliud suadere, quam vt noto, ci-  
uilique, & proprio sermone vtatur, vitetque maxi-  
me obscuritatem Sallustij, & audaciam in transla-  
tionibus.

## De Valerio Catone.

II

Alerius Cato, vt nonnulli tradiderunt,  
v Burseni cuiusdā libertus ex Gallia, ipse  
libello, cui est titulus Indignatio, inge-  
num se natum ait: & pupillum relictum, eoque  
facilius licentia Syllani temporis exutum patrimo-  
nio. docuit multos, & nobiles: visusque est perido-  
neus præceptor, maxime ad poeticam tendētibus,  
vt quidem apparere vel his versiculis potest:

Cato grammaticus Latina Siren,  
Qui solus legit, ac facit poetas.  
Inscripsit præter grāmaticos libellos etiā poema-  
ta, ex quibus præcipue probātur Lydia & Diana.  
Lydiæ Ticiā meminuit,  
Lydia doctorum maxima cura liber.

Dianæ Cinna,

Sæcula permaneat nostri Diana Catonis.

Vixit ad extremam senectam, sed in summa pau-  
perie, & penè inopia, abditus modico gurgultio,  
postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, vt  
author est Bibaculus:

Si quis forte mei domum Catonis,  
Depictas minio assulas, & illos  
Custodes videt ortulos Priapi,  
Miratur quibus ille disciplinis  
Tantam sit sapientiam assequutus,  
Quem tres calculi, & selibra farris,  
Racemi duo, tegula sub vna  
Ad summam propè nutriant senectam.

Et idem rursus.

Catonis modo Galle Tusculanum  
Tota creditor vrbe venditabat.  
Mirati sumus vnicum magistrum,  
Summum Grammaticum, optimum poetam  
Omneis soluere posse quæstiones,  
Vnum difficile expedire nomen.  
En cor Zenodoti, en iecur Cratætis.

De Cornelio Epicado.

I2

Ornelius Epicadus L. Cornelij Syllæ Di-  
c ctatoris Libertus, Calatorq; sacerdotio  
augurali, filioque eius Fausto gratissim⁹  
fuit: quare nunquam non vtriusque se libertū ædi-  
dit. Librum autem, quem Sylla nouissimum de re-  
bus suis imperfectum reliquerat, ipse supplēuit.

33638(a)  
89933  
P

8355



De L. Taberio. 13

T Aberius Hiera suo Hero empt<sup>9</sup> de Catasta, & propter literarum studium manu missus, docuit inter cæteros Brutum & Cassiũ. Sunt qui tradant, tanta eum honestate præditum, vt tēporibus Syllanis proscriptorũ liberos gratis, & sine mercede vlla, in disciplinã receperit.

De Curtio Nitia. 14

C Vrtius Nitia hæsit Cn. Pompeio, & C. Memmio. sed quũ codicillos. Mēnij ad Põpeij vxorem de supro pertulisset, proditus ab ea, Pompeium offendit, domoque ei interdictum est. Fuit & M. Ciceronis familiaris: in cuius epistola ad Dolabellam hæc de eo legimus: Omnino mihi literę magis sunt expetendæ a te, quàm a me tibi. Nihil enim Romæ geritur, quod te p̄tem scire curare: nisi forte scire vis, me inter Nitiam nostrũ & Vidium iudicem esse. Profert alter, opinor duobus versiculis expēsũ Nitia, alter Aristarchus hos ὀβελίζε. Ego tanquam Criticus antiqus iudicaturus sum, Vtrum sint τοῦ ποιητοῦ, ἀπαρμυβεβλημένοι. Itē ad Atticũ, De Hicia quod scribis, si ita me haberem, vt eius humanitate frui possem, in primis vellem illum mecum habere: sed mihi solitudo, & recessus prouincia est: quod quia ferebat Sicea, eo magis illũ desidero. Præterea nos si Nitia nostri imbecillitatem, mollitiem, consuetudinẽ victus. Cur ego illi molestus esse velim, quũ

ille iucundus esse non possit: Voluntas tamen eius mihi grata est. Huius de Lucilio libros etiam satyra comprobata.

De Lenæo. 15

L Enæus Pompeij Magni libertus, & penè omnium expeditionũ comes, defuncto eo filiisque eius, schola se sustētauit: docuitque in Carinis ad Telluris ædem: in qua regione Pompeiorum domus fuerat. Ac tanto amore erga patroni memoriã extitit, vt Sallustium historicum, quod eum oris improbi animo inuerecũdo scripsisset, acerbissima satyra lacerauerit, Laſtaurũ & Iurconem, & nebulonem, popinonẽmq; appellans, & vita, scriptisque monstruosum: præterea Priscorum, Catonisque verborum ineruditissimũ furem. Traditur autem puer adhuc catenis subreptus refugisse in patriam: perceptisque liberalibus disciplinis, pretium domino suo retulisse: Verũ ob ingenium atque doctrinam gratis manumissus.

De Qu. Cæcilio. 16

Qu. Cæcilius Epærota Tusculi natus, libertus Attici Satrij equitis Rom. ad quem sunt Ciceronis epistolæ. quum filiam patroni nuptam M. Agrippæ doceret, suspect<sup>9</sup> in ea, & ob hoc remotus, ad Corneliũ Gallum se cõtulit, vixitque vnã familiarissime, quod ipsi Gallo inter grauissima crimina ab Augusto obijcitur. Post deinde damnationẽ, mortẽque Galli, scholam apert.

E. j.

3363

MORSON & C.

*D. Morson*

ruit: sed ita, vt paucis, & tantū adolescentibus præciperet, prætextato nemini, nisi si cuius parēti hoc officium negare non posset. Primus dicitur Latine ex tempore disputasse, primūque Vigilium, & alios Poetas nouos perlegere cœpisse: quod etiā Domitij Marſi versiculus indicat: *Eperota tenello- rum nutricula vatū.*

## De Verrio Flacco. 17

V *Errius Flaccus libertin⁹ docendi genere maxime inclaruit: nanq; ad exercitanda discipulū ingenia æqualeis inter se committere solebat, propoſita non solum materia quæ scriberent, sed & præmio, quod victor auferret: id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior: quare ab Augusto quoq; nepotib⁹ eius præceptor electus, transijt in palatium cum tota schola: verū vt neque amplius posthac discipulū reciperet. Docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars palatij tunc erat, & sestertia centena in annum accepit. Decessit ætatis exacte sub Tiberio. Statuam habet Præneste in inferiore fori parte cōtra hemicyclū, in quo fastos à se ordinatos & marmoreo parieti incisos publicaret.*

## De Crassitio. 18

L *Vcius Crassitius genere Tarentinus, oradinis Libertini cognomine Pasides, mox Pansam se trās nōminauit. Hic initio circa scenā versatus est, dum Mīmographos adiuuat:*

dēinde in Pergula docuit, donec cōmētario Smyrnæ ædito adeo inclaruit, vt hæc de eo scriberētur: *Vni Crassitio se credere Smyrna probauit:*

*Definite indocti coniugio hanc petere.*  
*Soli Crassitio se dixit nubere velle,*  
*Intima cui soli nota sua extiterint.*

Sed quum edoceret iam multos, ac nobileis, in his Iulium Antoniū triumuirū filium, vt Verrio quoq; Flacco cōpararetur, dimissa repente schola, transijt ad Qu. Septimij philosophi sectam.

## De Scribonio. 19

S *Cribonius Aphrodisi⁹ Otbillij seruus atque discipulus, mox à Scribonia Libonis filia, quæ prior Augusti vxor fuerat, re- demptus, & manumissus: docuit quo Verrius tempore: cui⁹ etiam libros de orthographia rescripsit, non sine insectatione studiorū, morūmq; eius.*

## De C. Iulio Higinio. 20

C *Aius Iulius Higinus Augusti libert⁹, natione Hispanus (etsi nonnulli Alexādrinum putant, & à Cæsare puerum Romanam aduectum Alexandria capta) studiose, & auide imitatus est Cornelium Alexandrum grammaticum Græcum: quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorum multi, quidam historiam vocabant. Præfuit Palatinæ Bibliothecæ, nec eo se- E ij.*

33638(a)



cuius plurimos docuit: fuitque familiarissimus Ouidio poetae, & C. Licinio cōsulari historico, qui eum admodum pauperem decessisse tradit, & liberalitate sua quoad vixit sustentatū. Huius libertus fuit Iulius Modestus, in studijs atque doctrina vestigia patroni sequutus.

## De C. Melisso.

21

**C** Aius Melissus Spoleti natus, ingenuus, sed ob discordiam parentum expositus, cura & industria educatoris sui altiora studia percepit, ac Meconati pro grammatico muneri datus est. cui quum se gratum, & acceptum in modum amici videret: quāquam adferente matre, permansit tamen in statu seruitutis. Præsentēmq; cōditionem veræ origini anteposuit. quare citò manumissus, Augusto & insinuatus est, quod eleganter curam ordinandarū bibliothecarū in Octaviae porticu suscepit. atque ut ipse tradit, sexagesimum ætatis annum agens, libellos ineptiarum, qui nunc iocorum scribuntur, componere instituit: absolvitque centū & quinquaginta, quibus & alios diuersos postea addidit. Fecit & nouum genus togatarum, inscripsitque trabecas.

## De M. Pomponio Marcello.

22

**M** Arcus Pomponius Marcellus sermonis Latini exactior modestissimus, in aduocatione quadam (nam interdū & causas agebat) solocismū ab aduersario factū vsque adeo

35

arguere perseueravit, quoad Cassius Seter<sup>9</sup> interpellatis iudicibus dilationē petijt, vt litigator suus alium Grammaticū adhiberet: quandò non putatis cum aduersario de iure, sed sibi de solocismo cōtrouersiam futuram. Hic idem quum ex oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Atteio Capitone, & esse illud Latinum: & si nō esset, futurum certe, iam inde mētitur, inquit, Capito. Tu enim Cæsar ciuitatem dare potes hominibus, verba non potes. Pugilem olim fuisse Afini<sup>9</sup> Gallus hoc in eū epigrammate ostendit:

Qui caput ad leuam didicit,  
Glossmata vobis præcipit,  
Os nullum vel potius pugilis.

## De Qu. Rhemmio Palæmone.

23

**R** Hemmius Palæmon, Væcetinus mulieris verna, primò, vt ferunt, Textrinū, deinde Herilem filium dum comitatur in scholas, literas didicit: postea manumissus docuit Romæ, ac principem locum inter Grammaticos tenuit: quāquam infamis omnibus vitijs, palāmque & Tiberio, & mox Claudio prædicātibus, nemini minus institutionē puerorum, vel iuuenum cōmitēdam. Sed capiebat homines cum memoria rerū, tum facilitate sermonis: necnon etiam poemata faciebat ex tempore. Scripsit ex varijs, nec vulgaribus metris. Arrogantia fuit tanta, vt M. Varronē porcum appellaret: secum & natas, & morituras literas sacretet. Nomē suum in Bucolicis non temere

E iij.

33638 (2)

83072

positum, sed præfagiente Virgilio fore quãdoque  
omniũ poetarum, ac poematũ Palæmonem iudicẽ.  
Gloriabatur etiã latrones quondã sibi propter no-  
minis celebritatẽ parvisse. Luxuriæ ita indulfit, vt  
sæpius in die lauaretur: nec sufficeret sumptibus,  
quãquam ex schola quadragena annua caperet, ac  
non multo minus ex re familiari, cuius diligentissi-  
mus erat, quum & officinas promercaliũ vestium  
exerceret, & agros adedẽ coleret, vt vitẽ manu eius  
institutam satis constet CCC LXV vasa ædidisse.  
sed maxime flagrabat libidinibus in mulieres vs-  
que ad infamiam oris. dictõque nõ infaceto nota-  
tum ferunt cuiusdã: qui quum in turba osculum si-  
bi ingerẽtem, quanquã refugiens deuitare nõ pos-  
set: Vis tu, inquit, magister quoties festinantem ali-  
quem vides abligurire?

De Marco Valerio Probo. 24

M Arcus Valeri⁹ Probus Berrytius diu cẽ-  
turiatũ petijt, donec tædio ad studia se  
contulit. Legerat in prouincia quosdam  
veteres libellos apud grammaticã, durante adhuc  
ibi antiquorũ memoria, necdum omnino abolita, si-  
cut Romæ. Hos quum diligentius repetere, atque  
alios deinceps cognoscere cuperet, quanuis se con-  
temni, magisque opprobrio legentibus, quã glo-  
riæ & fructui esse animaduertet, nihilominus in  
proposito mansit, multãque exemplaria contracta

emendare, ac distinguere, & adnotare curauit. So-  
li huic, nec vlli præterea grammatices parti dedi-  
tus: hic non tam discipulos, quã sectatores ali-  
quot habuit. nõquam enim ita docuit, vt magistri  
personam sustineret. Vnum vel alterum, vel quum  
plurimos treis, aut quatuor pomeridianis horis ad-  
mittere solebat: cubansque inter longos, ac vulga-  
res sermones legere quẽdam, idque perraro nimis  
pauca & exigua de quibusdam, minutis quæstion-  
culis ædidit. Reliquit autem nõ mediocrem syluã  
obseruationum sermonis antiqui.

33638(a)



33639



SVETONII TRANQVILLI  
DE CLARIS RHETORICIS  
BVS LIBER

## I.

Hetorica quoque apud nos perinde atq; Grammatica, ferè recepta est: paulò etiã difficilior: quippe quam constet nonnũquam etiam prohiberi tam exerceri. quod ne cui dubium

R

fit, vetus, item Cenforiũ edictũ subijciam: Fannio Strabone, M. Valerio Messala cõsulibus, M. Pompeiõ prætor Senatũ consuluit, quòd verba facta sunt de philosophis & Rhetoribus. S. Consu. de ea re ita censuerũt, vt M. Pomp. prætor animaduerte ret, curaretq; vt si ei è republica, fidẽque sua videretur, vt Romæ ne essent. De iisdẽ interiecto tempore, Cn. Domitius AEnobarbõ, I. Licinius Crassus Cenfores ita edixerũt, Renũtjatũ est nobis, esse homines, qui nouũ genus disciplinæ instituerunt, ad quos iuuetũs in ludos cõueniat, eos sibi non mē imposuisse Latinos Rhetoras: ibi homines adulescẽtulos totos dies desidere. Maiores nostri quæ liberos suos discere, & quos in ludos ire vellent, instituerũt. Hæc noua, quæ præter cõsuetudinem, ac morem maiorũ sũnt, neque placent, neq; recta vidẽtur. Quapropter & ijs, qui eos ludos habent, & ijs, qui eò venire consueuerunt, videtur facienda, vt ostẽdamus nostram sententiã nobis non placere. Paulatim & ipsa utilis, honestaque apparuit: multique eam præsidij causa, & gloriæ appete-

tiuerunt. Cicero ad præturam vsque Græcè declamauit, Latine verò senior quoque, & quidem cõsulibus Hircio & Panfa, quos discipulos, & grandis prætextatos vocabat. Cn. Pompeium quidã historici tradiderunt sub ipsum ciuile bellũ, quo facilius C. Curioni promptissimo iuueni causam Cæsaris defendẽti cõtradiceret, repetisse declamandi consuetudinem. M. Antonium, item Augustum ne Mutinensẽ quidem bello omisisse. Nero Cæsar & primo imperij anno, publice quoque bis antea declamauit. Plerique autem oratorum etiam declamationes ædiderunt. Quare magno studio hominibus iniecto, magna etiam professorum, ac doctorũ profluxit copia: adeoque floruit, vt nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium, atq; ad summos honores processerint. Sed ratio docẽdi nec vna omnibus, nec singulis eadem semper fuit, quãdò vario modo quisque discipulos exercuerunt: nam & dicta præclare per omnes figuras, per casus, & apologos aliter, atque aliter exponere, & narrationes tum breuiter & presse, tum latius & vberius explicare consueuerãt. Interdum Græcorum scripta conuertere, ac viros illustres laudare vel vituperare: quãdã etiam ad vsum cõmunis vitæ instituta, dum vtilia & necessaria, dum perniciofa & superuacanea ostendere. Sæpe fabulis fidem firmare, aut demere: quod genus *θίτας*, & *ἀνασκινδές*, & *κατασκευές* Græci vocant: donec sensim hæc exoluerunt, & ad controuersiam ventum est. Veteres controuersie aut ex historijs trahebãtur, sicut sanè

c

d

33638 (a)  
33638



523

ALBERT GARDNER

LONDON

*[Signature]*

nonnullæ vsque adhuc aut ex veritate, ac re, si qua forte recens accidisset. Itaque locorum etiam appellationibus adiectis proponi solebant. Sic certe collectæ, æditæque se habent: ex quibus non alienū fuerit vnam, & alteram, exempli causa, ad verbum referre. A Estiuo tempore adulescentes vrbani quū Hostiam venissent, littus ingressi, piscatores trahentes rete adierunt. & pepigerunt, bolum quanti emerent: nummos soluerunt. diu expectauerunt, dū retia extraherētur: aliquando extractis, piscis nullus infuit, sed sporta auri obsuta. tum emptores bolum suum aiunt, piscatores suum. Venalitij quum Brundusij gregem venalium è nauī educerent, famosus, & pretioso puero, quod portitores verebantur, Bullam, & Prætextam togam imponere: facile fallaciam celarunt. Romam venitur. res cognita est. petitur puer, quod domini voluntate fuerit liber in libertate. Olim autē eas appellationes Græci *συντάξεις* vocabant. Mox cōtrouersias quidam, sed aut fictas, aut iudiciales. Illustres professores, & quorum memoria aliqua extet, non temere alij reperientur, quā de quibus tradam.

## De L. Plotio Gallo.

2

Vicius Plotius Gal. de hoc Cicero in epistola ad M. Ticinnium sic refert: Equidē memoria teneo pueris nobis primū Latine docere cœpisse L. Plotiū quendam: ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exercebatur, dolebam mihi idem non li-

cere, continebar autem doctissimorum hominum autoritate, qui existimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia posse. Hunc eundem (nam diutissime vixit) M. Coelius in oratione, quam pro se de vi habuit, significabat dictasse à Cratino accusatori suo actionem: subtractoque nomine, ordearium eum rhetorem appellat, deridens vt inflatū, ac leuem, & sordidum.

## De L. Octacilio Pilito.

3

Vicius Octacilius Pilitus seruissē dicitur, atque etiam hostiarius vetere more in catena fuisse, donec ob ingenium, ac studium literarū manumissus, accusanti patrono subscripsit. deinde Rhetoricam professus, Cn. Pompei Magnum docuit. patris eius res gestas, nec minus ipsius, compluribus libris exposuit. Primus omnium Libertinorum, vt Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam coepit, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam. Ad id tempus Epidius calumnia notatus, ludum docendi aperuit, docuitque inter ceteros M. Antonium, & Augustum, quibus quōdam C. Canutius obijcientibus sibi, quod in Republica administranda potissimum consularis Isaurici sectam sequeretur: Malle, respondit, Isaurici esse discipulum, quā Epidij calumniatoris. Hic Epidius ortū se ab Epidio Nuntione prædicabat: quem ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis Sarni paulo post cum cornibus extitisse, ac statim non comparuisse, in numeroque deorum habitum.

33638 (a)  
 33638  
 AN



## De Sexto Clodio.

4

Extus Claudius é Sicilia Latinæ simul,  
 s Græcæque eloquætiæ professor, male ocu-  
 latus, & dicax paroculorum. In amicitia  
 M. Antonij triumviri exitisse se aiebat. eiusdē vxor  
 rem Fuluiam, cui altera bucca inflator erat, acu-  
 men styli tentare dixit: nec eo minus, imò vel ma-  
 gis ob hoc Antonio gratus: à quo mox consule  
 ingens etiam congiarium accepit, vt ei in Philip-  
 picis Cicero objicit, Tibi & ioci causa magistrum  
 suffragio tuo, & competitorum tuorum Rhetorē  
 concessisti: vt in quem vellet, diceret: falsum omni-  
 no hominem, sed materia facilis & in tuos dicere.  
 At quanta merces rhetori est data, audite, audite  
 p. c. & cognoscite Reip. vulnera: duo millia iugerū  
 campi Leontini Sex. Clo. rhetori adsignasti, & qui-  
 dem immuni, vt tanta mercede nihil sapere dis-  
 ceres.

## De C. Albutio Silo.

5

Aius Albutius Silus Nouariensis, quum  
 c ædilitate in patria fungeretur, quum for-  
 te ius diceret, ab ijs contra quos pronū-  
 tiabat, pedibus é tribunali detractus est. quod indi-  
 gne ferens, statim contēdit ad portam, & inde Ro-  
 mam: receptusque in Planci oratoris contuberni-  
 um: cui declamatorio mos erat prius aliquem, qui  
 antè diceret, excitare. Suscepit eas partes, actaque  
 ita impleuit, vt Planco silentium imponeret, non

audenti in comparisonem se dimittere. Sed ex eo  
 clarus propria auditoria instituit: solitus proposi-  
 ta controuersia sedens incipere, & calore demum  
 prouectus consurgere, ac perorare, exclamare, aut  
 gemere vario modo splendide atque adornate. Tū  
 ne vsquequaque scholasticus existimaretur, circūci-  
 se ac fordide, & tantummodo triuialibus verbis e-  
 git & causas, verum rarius, dum amplissimā quan-  
 que sectatur, nec alium in vlla locum quā per-  
 orandi. postea renuntiauit foro partim pudore,  
 partim metu. Nam quum in lite quadam centum-  
 uirali aduersario, quem vt impium erga parentes  
 incessabat, iusiurandum quasi per figuram sic ob-  
 tulisset, Iura per patris, matrisque cineres, qui in-  
 conditi iacent: & alia in hunc modum: arripiente  
 eo conditionem, nec iudicibus aspernantibus, non  
 sine magna sui inuidia negotium afflixit. Et rursus  
 in cognitione cedis Mediolani apud L. Pisonē pro-  
 consulem defendens reum, quum cohiberent licito-  
 res nimias laudantium voces, ita excauidisset, vt  
 & deplorato Italiæ statu, quasi iterum in formam  
 prouinciæ redigeretur, M. in super Brutū (cuius sta-  
 tua in cōspectu erat) inuocaret, legum ac libertatis  
 authorē, & vindicem: penē pœnas luit. Iam autē se-  
 nior ob vitiū Vomicae Nouariæ diijt, conuocatā  
 que plebe causis, propter quas mori destinasset,  
 diu ac more concionantis redditus, abstinnit cibo.

FINIS.

33638/a

M

33688









UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA

871S8VG.E

C001

DE CLARIS GRAMMATICIS LIBER. PARISIIS



3 0112 023708388